

Valachi, in Possessione Oszek commorantes; alio translocentur.

Articulus 65.

Quamvis Valachi Oszkienses, juxta Articulum 92. Anni 1659. ob diversas violentias, damna, furta et alia mala facinora in eodem uberioris specificata, non solum puniri, verum etiam alio translocari, ad loca Confinaria Turcis inimicis viciniora et defensione indigentia debuissent:

§. 1. Idem tamen Valachi adhuc translocati non extitissent, imo in dies pejora et graviora damna Regnicolis (quibus multo viciniores quam confiniariis essent) inferre et caetera mala facinora perpetrare non desisterent:

§. 2. Ut itaque juxta Articulum praecitatum (qui hoc loci renovatur) ad loca pro defensione Confiniorum magis necessaria (in quibus his recenter evolutionis temporibus plurimi Pagi locati sunt) transferantur et translocentur; communibus votis, annuente quoque sua Majestate; conclusum est.

De insurrectione Regni Croatiae et Sclavoniae.

Articulus 66.

Regna porro Croatiae et Sclavoniae, tempore majoris et minoris impetus hostilis, secundum actionem inimici, juxta Leges et consuetudines suas insurgent. *)

§. 1. Quae Regna, ut in suis Juribus, Privilegiis, Statutis, Articulis et Consuetudinibus (quae hoc loci renovantur et confirmantur) conserventur; conclusum est. **)

De fugitivis Colonis restituendis; et poena non restituentium.

Articulus 67.

Non sine gravi praejudicio et damno, diminutione proventuum, desolationeque Patriae, subditi et Jobagiones Regnicolarum, una cum prolibus et Familia, iumentisque et rebus (nonnunquam flagitiis diversis perpetratis promeritam poenam metuentes, nonnunquam vero debitibus contractis, vel aliis oneribus obnoxii; Dominorum Terrestrialium suorum, vacuis Terragiis et fundis, alii etiam Uxoribus aut Parentibus relictis) ad Confinia transfugere; subinde vero ipsimet confiniarii eosdem clam vel violenter, similiter cum Familia et rebus mobilibus translocare et abducere consueverunt:

§. 1. Qui taliter profugi, aut abducti, periculorum ignari, facile per excusiones Turcarum et alia diversa media, in manus et captitatem diram Ottomanicam frequenter deveniunt.

*) Confirmatur; An. 1741. a. 59.

**) Confirmatur simpliciter; An. 1687. a. 22. Confirmatur, cum modica limitatione; An. 1715. a. 120.